



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XXXIV. Amphion cantu fidium, Thebas urbem ædificat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

dignationem incurrit; & miser ipse, liberique funestam necem subierunt. Verè Aristophanes; nulla fera minùs expugnabilis quàm femina. Summa ibi contumacia, si cedendum; si verba & fraudes componendæ, summa astutia; si coquenda vindicta, maxima vigilantia. Neque imbecillis tantùm & impar laboribus hic sexus est: sed, si licentia adsit, sævus, ambitiosus, potestatis avidus, omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderat, inquit Tacitus. Et Poëta in veteri Comœdia.

Malè quod mulier facere incipit, nisi efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est: ea illi miseriæ miseria;
Si benè facere incipit, eius eam citò odium percipit.

SYMBOLVM XXXIV.

Amphion cantu fidium Thebas urbem ædificat.

Homerus Odysf. μ.

Ethicè.

1. Princeps amabilis. 2. Concordia civium. 3. Cithara, hieroglyphicum boni Principis.

Fuit is Jovis ex Antiopa, Lyci Regis Thebani, filia proles, Thebarum & ipse rex, non scepro magis, quàm plectro potens & clarus. Vxor ei fuit Niobe, mulier superba & imperiosa, quæ cotis instar virtutem & patientiam mariti acuebat, de qua in præcedente Symbolo. Citharam *Amphion* ab ipso Mercurio ejus inventore, accepit; quam, sicut alia instrumenta musica, tanta suavitate pulsavit, ut, cum Thebæ in Bæotia, non satis adversùs finitimos hostes essent instructæ turribus ac propugnaculis, ipse mellito fidium sono saxa quoque commoverit, & ad urbis Thebanæ constructionem attraxerit. Illa quippe dulcissimo modulatu duritiem suam ponere, & velut animata essent, loco se movere; primòque grandiora in fundamentum intrare; deinde paulò minores lapides, leni motione confluere, aliique super alios subsilientes, ultro coeunte junctura, consurgere; demum crescente numero, partim summam in altitudinem sese attollere, partim in propugnacula, ad vim quæcumque repellendam, protuberare cœperunt. Muros septemgemi-

Z

na

næ distinxerunt portæ, tot scilicet, quot in cithara Amphionis chordæ, & in chordis vocum discrimina. De quibus Maro 6. *Æneid.* Orpheum describens:

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum

Ethica.

I. (a) Quemadmodum cithara constat è summis, medijs, infimis fidibus, & ipsa chordarum inæqualitate, concinnam & concordem reddit harmoniam, si perita manus rectè eas composuerit, & impulerit. Eodem modo respublica, è diversis hominum conflata generibus, & ordine dissimili, concordi pace ligatur, si Principem nacta fuerit, qui & consilio, & rerum usu valeat, quique benevolentiam suorum, consensum, & commune pacis vinculum fovere nòrit. Ejus rei imago fuit Amphion, de quo Horatius in arte Poëtica:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda.

Nihil enim ad permovendos hominum animos efficacius, quam morum amabilitas; (quæ per dulcem citharæ sonum designatur) nam ut Tacitus ait lib. 11. *Annal.* Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat. *Verbum dulce*, inquit Siracides c. 6. *multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* ita quidem, ut cautes etiam & saxa, id est, cruda & saxea hominum corda suavitate sermonis demulceantur, & trahantur, uti traxit Amphion, de quo Poëta:

Movit Amphion lapides canendo.

Eloquentiâ namque suâ, & blanda oratione persuasit non tam lapidibus, quam duris hominibus, ut ultro confluerent, & operam navarent in mœnibus Thebanis condendis. Hanc artem conciliandi animos Plutarchus docuit Imp. Traianum, dum ad eum scripsit, *Leniter atque placidè fides, non vi & impetu concuti debere.* Tullius quoque lib. 2. de *Republ.* concordiam, quam parit suavitas eloquij, comparat fidibus & concentui musico; Vt in fidibus, inquit, atque cantu ipso & vocibus concertus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concertus ex dissimillarum vocum moderatione, unus tamen efficitur, & congruens: sic summis, & infimis, & medijs interjectis ordinibus ut sonis, moderatæ naturæ civitatis concertu dissimillimorum consistit; & quæ harmo-

(a) *Princeps amabilis.*

harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia, nullo pacto esse potest. Ad Tullium accedit Plutarchus lib. de amicis. Musica, inquit, in cantu & organis, argutè quidem concors est, ex acutis, & medijs, & gravibus modis, quanquam sint dissimiles; ita firma amicitia non aliter, atque una anima in multis corporibus, æquabili ratione consistit.

II. (b) In hunc modum Thebarum mœnia exædificavit canorus Amphion, & adversus hostiles aggressiones communiit; quid enim validius ad propugnandum & tuendum, quàm civium concordia? Hoc munimentum, fundatore Lycurgo, urbis Sparta fuit. Vnde Agesilaus rex ibidem, rogatus à quodam, cur Sparta mœnibus non cingeretur? ostendit ei cives unanimes & armatos: Hi, inquit, sunt Spartanæ civitatis mœnia; significans, urbes nullo munimento tutiores esse, quàm virtute civium consentientium. Plutarch. in apopht. Lacon. Rursum Lacedæmonij seu Spartani cùm de civitate mœnibus cingenda consularent, Isæus Sophista recitavit illud Homeri:

Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir.

Addiditque: sic mihi stete, Lacedæmonij, & muris cincti sumus. Illustrantur hæc exemplo Sciluri, regis Scytharum, qui octoginta filiorum pater, cùm moriturus esset, fasciculum jaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Quod cùm illi fieri posse negassent, ipse singula jacula è fasciculo exemit, & confregit, filios admonens his verbis: si concordēs eritis; validi, invictique manebitis: contra, si dissidijs ac seditione distrahamini, imbecilles vos præbebitis, & expugnati faciles. Simile de Micipsa Numidarum rege memorat Sallustius; qui jam jam è vita excessurus, filios paterno monuit affectu, ut concordēs sint, addens: *Concordiâ res parva crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.* Confirmat hæc omnia Salomon Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, & judicia, quasi vestes urbium.* Videlicet concordia fratrum est instar urbis munitissimæ & inexpugnabilis; *judicia* verò, hoc est, lites & dissidia fratrum, sunt quasi vestes urbium seu fores, quæ per discordiam facile hostibus referantur, & præbent aditum. Huc facit Symbolum Ottoberti Comitæ Habsburgici, in quo Cithara sustinetur ab armato brachio, cum inscriptione: *Hæc mihi tuba.* Quasi diceret: ad concordiam potiùs, quæ animorum est harmonia, quàm ad arma vocabo. Vide Alciati emblemata 10.

III. (c) Possent per Amphionis citharam heptachordon intelligi

Z 2

septem

(b) Concordia civium. (c) Cithara est hieroglyphicum boni Principis.

septem virtutes, maximè decentes Principem & exornantes; videlicet *Religio*, de qua Liv. lib. 5. Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus. Et Aristoteles 6. Polit. Primum est curatio rerum divinarum. 2. *Iustitia* de qua Cic. in paradox. Jus & æquitas sunt vincula civitatum. Et S. Aug. lib. 4. de Civ. Remota iustitiâ, quid sunt regna, nisi latrocinia? Et Augustus apud Senecam in Lucullo: Pietate & iustitia Principes Dij fiunt. 3. *Fortitudo*. Hieronymi dictum est: Fortitudo atque constantia via regia est, à qua declinat ad dextram, qui temerarius est & pertinax: ad sinistram, qui formidolosus est & pavidus. 4. *Prudentia*. Omnium temporum eventus docebit, & docuit, *plura in summa fortuna, auspicijs & consilijs, quam telis & manibus geri*. Tacitus. Et Euripides: Mens una sapiens, plurimum vincit manus. 5. *Clementia*. Malè timore veneratio acquiritur, longèque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quàm timor. Plin. epist. 8. Ciceronis sententiâ homines nulla re propius accedunt ad Deum, quàm salutem homini dando. Et Rudolphi Austriaci dictum est: severum fuisse pœnituit, placabilem nunquam. 6. *Liberalitas*. Quemadmodum fruges non tam ingenio solè, quàm cœli beneficio, meliorèque temperie latius exuberant: ita & meliores artes, eximiâque ingenia, benignitate, humanitatèque Principum virorum evocantur, & excitantur. Cleomenes & Ptolemæus reges Ægyptiorum adeò benefici erga cunctos extiterunt, ut inde beneficiorum cognomina reportârint, *Evergetæ* dicti. 7. *Temperantia*, seu moderatio cupiditatum; nam quomodo reget alios, qui se ipsum regere nescit? Latissimè dominatur, qui in se obtinet imperium. Alexandrum certè Magnum, quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt, & animus cupiditatibus solutus.

